

parte Dei, *Lex*. §. 50. Quo sensu *Satanas* sit causa efficiens. §. 51. *Causa Impulsiva* ex parte *Satanae*, interna & externa §. 52. *Causa Demeritoria* sunt homines ipsi. §. 53. *Materia* ex qua & *Forma* hic proprie nulla. Attamen *materiale* & *formale*. §. 54. *Materia* in qua sive *subjectum*. *Quod* & *Quo*: atque hoc *primarium* & *secundarium* §. 55. *Causa Finalis* ex parte Dei, respectu diversorum *subjectorum varia*. §. 56. *Causa finalis* ex parte *Satanae*. §. 57. *Porismata practica* ex præmissa tractatione.

## §. I.

**P**ia inferni contemplatio, sive atrocium æternæ damnationis malorum & cruciatuum meditatio, cuius Christianorum merito debet esse commendatissima: Ita enim non solum beatitudinis magnitudo rectius agnoscitur; prout opposita juxta se posita facilius elucescere vulgo novimus; verum etiam impii, delictis hujus mundi impliciti, sed bonitate finis Theologiæ nondum permoti, gravitate poenarum ab oculos posita, terrentur, & excusso securitatis torpore aut veterno ad sollicitudinem sui excitantur. Est hæc meditatio probatissimum adversus quævis peccata antidoton. Quos enim innumerus ille atrocissimorum æternæ durationis suppliciorum cumulus, hominibus a Deo secedentibus destinatus, ab impietatis amore & peccandi libidine non detineat? Est eadem ad sinceram pietatem ingens incitamentum; scilicet, ut non timeamus eos, qui corpus occidere possunt, animam occidere non possunt, sed eum potius, qui animam pariter & corpus perdere potest in gehenna Matth. X, 28. Atque huc etiam plurima Patrum in hac meditatione occupatorum dicta collineant. Ita Chrysoft. Homil. II. in 2. ad Thess. p. m. 1405. *Regni non ita recordemur, ut gehenne. Timor enim promissione potentior est & efficacior. Et novi complures innumera bona promissa contempturos fuisse, si de supplicio securi fuissent ac liberati &c.* Item: *Nemo eorum qui Gehennam ante oculos habet, in Gehennam incidit. Nemo Gehennam contemnentium Gehennam effugiet. Nihil ita est utile, atque de Gehenna disserere:*